



Samelbd.

0/0

die,



DE 57  
STVDIO MIRABILIS  
IN  
CVLTV GENTIVM  
PROFANARVM RELIGIOSO

---

PAVCA DISSERIT

CAROLVS HENRICVS SINTENIS

AA. LL. M. LYC. TORGAVIENS. RECTOR.



---

TORGAVIAE, TYPIS RÜDELIANIS.

m m m

DE  
STUDIO MIRABILIS  
IN  
CALTV GENTIVM

PROFANARVM RELIGIOSO

---

TRACTATVS

CAROLVS HENRICVS STIENIS

AA. LL. M. LIC. PRAEDICANDI. RECTOR.

---

MDCCCLXXXIII





✠   ✠   ✠

**A**nimi humani indolem, eiusque recessus et latebras, omni, qua par est, sollertia si indagaueris, et idio quodam mirabilis, siue illius, quo obtupestactus in admirationem rapiatur, trahi illum et permoueri, facili negotio intelligere potes, quamuis, quod tamen mirum est, illi sic aduésferi possis, ut consuetudine quasi mirabile subducatur. Negari enim non potest, quotidiana, ut loquitur SENECA, etiam si admiratione sunt digna, nos transire, cum e contrario vel minimarum rerum, si insolitae prodierunt, dulce fiat spectaculum. Consueti, uulgaria, et diutius usitata, quamuis sint admiratione digna, nos non tangunt, noua magis, quam magna, miramur. Quid, sole, post longam noctem, et tempestates exoriente, mirabilius? sed, nisi cum deficit, spectatorem non habet, quamuis haec maiora essent, illum circuitu suo annum conficere, a solstitio statim inclinare, spatium dare noctibus, nec terram, cum tanto maior sit, illa, urere, sed calorem suum intensionibus ac remissionibus temperando fouere. Quid, luna, noctis tenebras, et densissimam caliginem dissipante, maiori admiratione dignum? nemo uero illam, nisi laborantem, obseruat. Quod si uero stella cincinnata, rarus et insolitae figurae ignis, apparuit, nemo non scire, quid sit, cupit, aliorum oblitus, de illa quaerit, ignarus, uirum mirari, an timere debeat. Haec omnia, animum nostrum mirabilis specie affici, illiusque studio incitari et moueri, quamuis consuetudine in illo inuestigando relaxetur, luculentissime comprobare mihi uidentur. Summi Numinis prouida cura, ad exprimendam cum essentia diuina, omni numero absoluta, similitudinem nostram, hoc studium nobis insitum atque innatum est. Quemadmodum enim ipse Deus tam in amplo et vasto regno naturae, quam gratiae, tam in creandis, conseruandis, et gubernandis rebus, quam in inueniendo, eoque perfectissimo, beneuolentiae suae reconciliandae, medio, innumeris po-



tentiae, qua omnia pollét, sapiéntiæ, iustitiæ, benignitatis et munificentiae suae documentis, maximam in nobis admirationem mouet, et mirabilis est, sic, ipsi vt propiores accedere-mus, studium quoddam nobis indidit quo ad omne, quod mirandum videtur, trahimur atque impellimur. Itaque quod raro euehit, vel cuius causae nos latent, mentemque nostram stupore defixam detinent, quod praeter spem contigit, vel praeter omnem timorem accidit, verbo, παραβολα, attoniti et obstupefacti contemplamur, rebusque consuetis, et nouitatis speciem non prae se ferentibus, anteponenda putamus. Centies vero hoc studio abutimur, centies ex praeconceptis opinionibus, ex facultatis imaginandi somniis, ex animi perturbationibus, immo ex nimia in diiudicando praecipitantia, mirabile nobis videtur id, quod admirationem nostram non meretur, sed commiseratione nos dignos reddit. Superstitiosa antiquitatis monumenta, gentium profanarum cultus religiosus exemplis, quae ad collustrandam hanc veritatem proferri possunt, abundat. Indidem pauca de *studio mirabilis in cultu gentium profanarum religioso* iam disserere, constituimus, rogantes, vt Lectores Humanissimi hanc succinctam commentationem nostram aequi bonique consulant.

Certe permulta, animum si attenderis, in cultu gentium profanarum religioso, exstant, quorum ope studium mirabilis illarum comprobari, et extra omnem dubitationem poni potest. Hoc enim erat studium, quo gentium, a vera Summi Numinis agnitione remotarum, religioni (somnia illarum et opiniones delirae si religionis nomine dignae sint censendae,) auctoritas, immo diuini quid, ex opinione illarum peruersa, tribui poterat. Nihil igitur intermiserunt, quo religionis suae mirabilia, ad corroborandam illius maiestatem, augerent, illisque auctis, plebem saltim in admirationem, immo stuporem, raperent. Nos vero de illarum, in cultu religioso, mirabilis studio dicturi, illius nonnulla tantum proferemus documenta, quorum primum a luxu et splendore templorum, ab illis ex-

stru-



structorum, sic desuinctum. Consideremus templa ipsa, aras et  
idola. In templis magnifice exstruendis sic saepe modum exce-  
debant, vt plebs, stupore excoecata, sensus fere omnis expers  
redderetur. A Graecis ad Romanos transeamus, et sic primo  
loco Graecorum celeberrimum intremus templum Ephesium.  
Vrbis scilicet Ephesi, quae inter duodecim Ioniae vrbes tan-  
tum eminuit, quantum Ienta solent inter viburna cupressi,  
splendorem plurimum auxit templum Dianae magnificentis-  
simum, septem illis apud veteres miraculis annumeratum. Ab  
Aristophane dicitur *πύργεσος χρῆος*, domus tota aurea, et LI-  
VIVS vbi de Rege Seruio exstructi in Auentino Dianae Fani  
meminit, lib. I, c. 45. *quantum erat inelytum Dianae Fanum,*  
*id communiter a ciuitatibus Asiae factum fama ferebat.* Ducen-  
tis et viginti annis fertur exstructum, quod certe tempus ad  
conficiendum tantae magnitudinis templum requirebatur. Ex  
VITRUVII enim et PLINII descriptione constat, longitudinem  
fuisse ccccxxv pedum, et latitudinem ccxx. Columnae cen-  
tum viginti septem a singulis Regibus dicatae, imagines et si-  
mulacra auro, argento, ebore, ac marmore conspicua fulge-  
bant, et donaria, a Regibus, vrbibus, gentibus, populisque  
collata, tot tantaque erant, vt PLINIUS de iis dicat: *cetera eius*  
*operis ornamenta plurimum librorum instar obtinent, nihil ad spe-*  
*ciem naturae pertinentia.* Quod cum ab Heroftrato, qui no-  
men memoria sceleris propagauit, eadem die, qua Alexander  
natus, incensum conflagrasset, ita tamen, vt vniuersa eius mi-  
rabilis structura non esset subruta, aliud continuo ab Ephesius  
est exstructum, de quo CALLIMACHVS, sicut ex aetate eius sub  
Protemaeis, Philadelpho et Energete, abunde colligitur, in  
Hymno in Dianam faietur: *ἄττι θεώτερον ὄψεται ἡὸς, ὅνδ' ἀφει-*  
*έτερον*, h. e. *nihil magnificentius videbit sol; nec locupletius, et*  
*de quo similiter agit, qui sub Augusto demum vixit, DIONY-*  
*SIVS ALEX. vf. 829. περίεστιν ἀνδράσι θεῶν, venerandum homi-*  
*nibus miraculum.* Apud Romanos templum Iouis Capitolini  
omnium templorum splendidissimum fuit, et quidem a Do-



mitiano quartum restauratum, columnis eius ex Pentelico lapide excisis, et ad inaurandum XII. millibus talentorum impensis, quam insaniam, magnificentiae nomine, extulere multi scriptores, et maxime poetae, quorum e numero Martialis, ex interpretatione GRONOVII, nominari meretur in lib. XI. epigr. 5.

*Sacra, Laresque Phrygum, quos Troiae maluit heres,*

*Quam rapere arsuras Laomedontis oper,*

*Scriptus es aeterno nunc primum Iuppiter auro,*

*Et soror, et summi filia tota patris. etc.*

Pretiosissima praeterea in hoc templo custodiebantur ornamenta, multa aurea et argentea vasa, coronae aureae, candelabra aurea, dona signati auri ingentia, et in fastigio templi simulacrum Iouis quadrigis auratis impositum erat. Teste Dionysio IV, p. 259. exstructum erat in alta crepidine, ita, ut in ambitu *εὐκρίπιδος* h. e. octingentorum pedum fuisset, ducentis fere pedibus patens, habuit porticum cum triplici columnarum ordine, tresque aedes pares communibus contentae erant parietibus, media Iouis, a dextra Mineruae, a sinistra Iunonis. In sacello, vel delubro Iunonis anseres sacri alebantur, et in arca lapidea servabantur libri Sibyllini. Ante cellam Mineruae iria erant signa Deorum Nixiorum, genibus nixa, velut praefides parientium. Haec exempla studium mirabilis, gentium profanarum in exstruendis templis testentur, sed ipsa templorum dedicatio eandem mirabilis speciem praebet. Antequam vero de illa verba faciamus, de voce hac solemniter pauca praemonuisse non poenitebit. Graevius in Oratione, quam Cicero, pater eloquentiae Romanae, pro domo habuit, copiose disputat de discrimine, quod intercedit inter *consecrationem* et *dedicationem*, cuius disputationis summa haec est, ut *consecrationem* locorum, arearum, et agrorum esse contendant, *dedicationem* vero templorum, ararum et simulacrorum. Celeberrimus vero Ernesti, accurate haec disputata, negat, quia Cice-



Cicero consecrationem a dedicatione in genere non distinguit, sed ostendere voluerit, absurdum esse, eiusdem rei, h. e. consecrationis et dedicationis diuersam vim statui pro diuersis rebus, cum in hac caerimonia non res, in qua adhibeatur, sed ipsa consecrandi dedicandique caerimonia, et sanctitas spectetur. Quodsi vero pace communis huius Germaniae praecceptoris in contrariam partem aliquid proferri liceret, non negarem, me valde, ob frequentiore harum vocum in aliis auctoribus, differentiam formulasque solemnes de hac interpretatione laborare. Quanquam enim verum et iustum huius loci sensum eruit, et Cicero non solum hoc loco, quod ante *dedicare* dixerat, id statim *consecrare* nominat, sed etiam alibi harum vocum differentiam neglexisse videtur, in aliis tamen auctoribus ne vnus quidem mihi occurrit locus, vbi haec voces a se inuicem non fuissent distinctae. Sic LIVIUS vtraque voce vitur, sed semper obseruata differentia. Sic lib I, c 21. *multa alia sacrificia, locaque sacris faciendis, quae Argeos Pontifices vocant, dedicauit*, et lib. II, 8. vbi de *dedicatione* Capitolii sermo est. Huic accedit ritus formularum solemnium, in quibus nunquam vox *consecrationis* de templo et ara legitur, quae tamen maximi hac in re ponderis videntur. Praeter ROFINUM BRISSONIVS duo exempla e Liuiio profert, inscriptionis Capitolinae mentionem facit, et e Tibullo duo citat loca, in quibus omnibus vox *dedicationis* deprehenditur. Nihil dicam de eo, quod *consecratio* a Tribunis plebis, foculo posito, adhibito tibicine, facta, sua habuerit verba solemnia, quod Cicero in eadem oratione declarat: *Si Tribunus plebis, ait, verbis non minus praescis, et paene solemnibus bona cuiuspiam consecrarit, et mox: an consecratio nullum habet ius, dedicatio est religiosa? quid ergo illa tum obtestatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid praescia verba voluerunt?*

Integer vero dedicationis ritus vt eluceat, notes, Augures templa effabantur, tunc condebantur, condita Kalendis Ianuariis dedicabantur, ab iis, qui vouerant, tandem ab Auguribus



ribus inaugurabantur. Quanta vero religione, vel potius super-  
perditione veteres templa Diis construxerint, a CORNELIO TA-  
CITO lib. IV. histor. vbi de lustratione areae templi Iouis Ca-  
pitolini sermo est, discamus: *Vespasianus curam Capitolij re-  
stituendi in L. Vestinum confert, equestris ordinis virum, ma-  
gnaeque inter proceres auctoritatis. Undecimo Kalendas Iulias,  
serena luce, spatium omne, quod templo DICABATUR, euinctum  
vitis atque coronis. Ingressi milites, quibus fausta nomina, feli-  
cibus ramis. Dein Virgines Vestales cum pueris puellisque pa-  
erimis et matrimis, aqua riuus, et fontibus hausta, perlucere.  
Tum Heluidus Priscus Praetor, praeeunte Pontifice, lustrata  
Suaetaurilibus arca, et super cespitem redditis extis, Iouem, Lu-  
nonem, Mineruam, Praesidesque imperii Deos precatus, uti coe-  
pta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas, di-  
uina ope attollerent, vittas, quibus ligatus lapis, innexique fu-  
nes erant, contigit. Simul caeteri magistratus, et sacerdotes, et  
Senatus, et Equites, et magna pars populi, studio laetitiaque  
connixi, saxum ingens traxere, passimque iniectae fundamentis  
argenti, aurique stipes, et metallorum primitiae, nullis formaci-  
bus victae, sed ut gignuntur.*

Satis de studio mirabilis gentium profanarum in exstru-  
endis et dedicandis templis. Aras et idola nunc contemple-  
mur. Multi sunt, qui putent, aras a focis si inuicem coniun-  
gantur, sic esse distinguendas, ut aras de templis tantum, focis  
de aedibus priuatis intelligantur, quid, quod proverbium:  
*pro aris et focis pugnare*, Cic. de Nat. Deor. III, 40. Flor. III,  
13 plerumque falso transfertur. Sensus est, cum totis viribus  
certare, tanquam nihil nobis prius aut carius esse debeat. Ho-  
stes enim urbibus captis, si delere eas vellent, in focos maxi-  
me aedium faeuire, eosque effodere, et aras, quae in iis sacrae  
Diis Penatibus, euertere solebant, ne Dii loca illa in pristinam  
tutelam reciperent. Euripides Hecuba: ἐπεὶ δὲ Τροίᾳ θ' Ἐκτο-  
ρὸς ἵ ἀπώλετο Λυχὴ, πατρώᾳ θ' Ἔσθᾳ κατεσκάθη. Vtrumque de pri-  
uatis aedibus dicitur, nulla cultus Deorum publici, nec tem-  
plo.



plotum habita ratione, in significato vero diuerso. Ara erat Deorum Penatum, patriorum, in impluuiio, siue loco subdiuiali in medijs aedibus, in quem aqua de tectis confluebat, et qui primo in aedibus beatiorum porticibus cinctus, deinde, statuis positus, ornatus erat. Focus vero in arrio, et Larium erat. Hinc LIVIUS XXVIII, 42. *aliter moenia patriae, et impla Deum, aras et focos defendent*, et Cic. II, Phil. 30. *liberi Cn. Pompeii reperebant Deos patrios, aras, focos, lauem suam familiarem, in quae tu inuaseras*. Arae vero in templis, multis sumptibus ex pretiosissima saepe extruebantur materia, auro, vel saltem auro erant inductae, aere, marmore, vt Romae in Iouis Vltoris aede, OVID. Met. IX, 160. *vinique marmorea patera fundebat in aras*. Splendor illarum alijs adhuc ornamentis augebatur, quae maioris cultus gratia circum aras ponebantur, et pingebantur, conuenientia tam Numinis, quam hominis conditioni, nec silentio praetereunda sunt sculpra, in illis saepe quae cernebantur, et quae passim in inscriptionibus notantur, vt genii, gryphi, pegasi, corui, et catelli. Et quemadmodum coronis aureis et laneis, sic floribus etiam vinciri et coronari solitae, quae *σεφανώματα βασιδών*, et a Romanis verbenae dicuntur, vt notum ex Terentio, *ex ara hinc sume verbenas*. Apud Cyrenaeos in ara Apollinis perpetuus seruabatur ignis, et apud Romanos virgines Vestales ignem in ara ardentem custodiebant. Quae omnia tantam aris conciliauerant maiestatem, vt iuraturi et morientes aras tenerent, immo confugientes in sana, si aras fuissent amplexi, impunitatem consequerentur, ita, vt non sine piaculo auelli possent, nisi magni sceleris essent rei, tunc enim vel igne admoto sponte discedere cogebantur, vel obstructis valuis fame necabantur. Antequam vero e templis gentium profanarum egrediamur, idola adhuc miranda videntur. Vt imperitae multitudinis animos obumbratos, specie mirabilis, laqueis superstitionis irretirent, varia supellectile, eaque pretiosa, idola sua ornabant. Fundebatur, fabricabatur, sculpebatur Deus, ex materia, saepe magnis sumptibus

( )

tibus



ribus comparanda, sed diuina eius maiestas quo magis eluce-  
ret, multis ornamentis donabatur, et veste, vel aurea, vel pur-  
purea induebatur; a vestitoribus simulacrorum et baiulis,  
*ἱεροπολιταῖς* et *ἱεροφάνοις*, de quibus VALESIVS ad Sozomen. V, 3.  
Sic Iupiter, facie diebus festis minio oblita, aureos habuit  
calceos, et pallium aureum, variis distinctum floribus, anima-  
liumque figuris. Apollo, imberbis ille intonsusque iuuenis,  
lauro coronatus, chlamydeque aurea a tergo reiecta, et aurea  
fibula circa pectus constricta, fulsit. Minerua, loco mundi  
muliebris, cassidem gessit auream, Iuno curru aureo a pau-  
nibus vehebatur; Venus purpurea, gemmisque illuminata  
chlamidē vestita, eiusque currum, ex ebore in conchae mo-  
dum figuratum, vel columbae, vel cygni, vel passeris trahe-  
bant. Splendida haec idola Kalendis Ianuariis, paedore ab-  
sterfo, nouam maiestatem recipiebant, de qua caerimonia  
BARTH. Adv. LIII, 12. Solemni etiam pompa in thenis ebur-  
neis vel argenteis circumducebantur, vt SCHEFFERS de re ve-  
hicul. II, 24. monet, neque dubitarunt gentes, miracula ima-  
ginibus Numinum suorum affingere, sudorem, gemitus, auer-  
siones, gestus annuentium, et vim medendi, vt docent ATHE-  
NAEVS XV, p. 676. et FREINSHEMIUS ad FLORI II, 8. 2. Nihi-  
lo tamen minus quorundam ea erat vaesania, vt idola, insigni  
calamitate ab illis afflicti, lapidarent, flagellarent, omnique  
contumelia contaminarent. Sic relinquamus templa.

Ad alia nunc mihi progrediendum foret argumenta, qui-  
bus studium mirabilis gentium profanarum in cultu religioso  
confirmari potest, ad oracula, caerimoniae et sacrificia, sed alio  
tempore pertractentur. Gentes vero profanae, quo maio-  
ri studio multa in religione sua, superstitionis plenissima, mi-  
rabili exhibere voluerunt documenta, eo maiori studio ma-  
iorique contentione nos, verbi diuini luce collustrati, sanctif-  
simae religionis nostrae vere mirabilia, vt consideremus, ob-  
stricti tenemur. Memoria diei, qua Christus vnus et so-  
lus Mediator, atrocissimum supplicium perpeffus est, multa  
nobis



nobis exhibet mirabilia, in quorum contemplatione et veneratione animi nostri defixi sint. *Schroederi* beneficio cum quotannis actus quidam solemnus in Lyceō nostro habendus sit, sex iuvenes, et ingenio, et morum elegantia doctoribus suis fatis comprobati,

### mirabilia redemptionis nostrae

cras, ipsis horis, quibus Sospitator generis humani animam efflauit, orationibus, a singulis proprio Marte elaboratis, enarrabunt, et quidem eo ordine, quo in subselliis suis se excipiunt, nimirum:

- I. IOANNES GEORGIUS SCHVILERTVS, Torgauensis, *de mirabili redemptionis medio*, oratione latina disferet,
- II. CHRISTIANVS GOTTLOB CLVGIVS, Pakischio-Misnicus, *mirabile ipsius redemptionis*, in lingua German. euincet,
- III. IMMANVELIS GOTTLIEB TOEPFERVS, Torgauensis, *de mirabili sermonis Christi: Pater, remitte illis, nesciunt enim, quid faciant*, in lingua gallica dicere instituit,
- IV. CAROLVS HENRICVS REHIVS, Auma-Variscus, *mirabile sermonis Christi: mi Deus, mi Deus, cur me dereliquisti!* exponet in carmine Germanico. Hunc
- V. FRIDERICVS DAVIDES LOSSIVS, Schmannewitzenis-Misnicus, *de mirabili sermonis Christi: Pater, manibus tuis commendo spiritum meum*, Gallice dicturus, excipiet,



VI. GEORGIUS GODOFREDVS BVIRGERVS, Nei-  
denfis, *mirabiles redemptionis fructus*, in lingua Germa-  
nica praedicabit.

Ad quos beneuole audiendos, vt VIRI ILLVSTRES, EPHORVS  
Lycei doctrina, meritis, et senectute GRAVISSIMVS, SENATVS AM-  
PLISSIMVS, SACERDOTES vrbis nostrae PLVRIMVM REVERENDI, LY-  
CEI PRAECEPTORES FIDELISSIMI, ET RELIQVI MVSARVM NOSTRIQVE  
LYCEI AMICI, cras, finitis sacris pomeridianis, in auditorio ma-  
iori conueniant, omni, qua par est humanitate rogamus.

Scribebam in Lyc. Torgauenf. die Viridium,

cIo Io cclxxi.





AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3  
003 085 112



TA → SL  
was 75 fkt 1

R

VD 17











57

RABILIS

NTIVM

LIGIOSO

IT

SINTENIS

S. RECTOR.



DELIANIS.

